# VELLVS AVREVM THEOLOGICUM

QVOD

AD.dum REV.dus ET EXIMIUS DOMINUS

# D. FERDINANDUS STROBELIUS

*COLLEGIATÆ ECCLESIÆ S. CASSII*

*Bonnæ Canonicus, ad S. Remigij* ibidem *Paſtor Vigilantiſsimus, Capituli Burgenſis Decanus.*

A REV.do AD.dum ET EXIMIO

P. FRANCISCO *VAN DER VEKEN*

E SOCIETATE IESV.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EIVSDEM SACRÆ Facultatis DECANO.

*Die XVI. Ian. ipſo* S. MARCELLI *Anno Salutis.* M. DC. LII.

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR

COLONIÆ AGRIPPINÆ

*Conſuetis Loco, & cærimoniis inauguratus*

Reportavit Faventibus Superis

Applaudentibus inter alios pari animo calamoqúe

BONNENSIBVS

In Tricoronato Societatis IESV Gymnaſio

*Quâ Philoſophiæ quâ Humaniorum Literarum Studioſis.*

Coloniæ Agrippinæ Typis VVILHELMI FRIESSEMII Bibliopolæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ANNO QVO

TRES

DoCtores

TheoLogI

proMotI

Ad.dum RR. & Eximii DD.

D. HENRICVS FRANCKEN SIERSTORFIVS Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Canonicus Gymnaſii Laurentiani Coloniæ Sub-Regens.

P. ARNOLDVS MYLIVS COLONIENSIS Collegii Societatis IESV, ibidem Rector.

D. FERDINANDVS STROBELIVS BONNENSIS ad S. Caſſii ibidem Canonicus, ad S. Remigii PASTOR Capituli Burgenſis DECANVS.

# AD.dum REV.de & Eximie Domine.

IASONEM *olim* vellus aureum *reportaſſe notiſſimum eſt Poëtis. Nos in novis hiſce ſummi Honoris inſignibus ineunte novo anno, illud Tibi longis veriſque Laboribus reportanti vt par eſt, gratulamur. Quid enim potius* Bonnenſi *Bonnenſes? Patrono &* PASTORI, *ſubdito è grege Clientes? mirumne, ſi* PASTORI *ſuo* VELLERA *portent* Oues? *pro candore ſuo candida? Quis neſcit* DOCTORIBUS *recens creandis* Epomides *tribui* vellere candido *ſuffultas? Tuum hodie* aureum *ſimul &* candidum *eſt animo, verbis, opere: & nos candidè candidum offerimus. Tu pridem illud aureum feciſti, &* aureis *ſcientiæ variæ, clariſq.* aurearum *virtutum radijs velut auro, gemmiſq. diſtinxiſti. Suſcipe igitur* vellus aureum *vel ſi mavis* candidum, *&* candido *aureoq. favore proſequi deinceps perge.*

AD.dum REV.dæ ET EXIMIÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

*Parochianos*

Et Clientes

## Qui ſunt in Gymnaſio Societatis IESV Tricoronato Coloniæ ſtudioſi.

MATTHIAS ENGERS, Metaphyſicus.

FRANCISCUS HERMANNUS STRAVSS,
VVENDELINUS PRÆTORIUS, } Phyſici.

FERDINANDUS SCHICK,
GODEFRIDUS BAUMAN,
RUDOLPHUS VAES, } Logici.

ADOLPHUS SIGISMVNDUS BURMAN, Rhetor.

ANTONIUS ROSSART,
FRANCISCVS VVILHELMUS SCHONHEIM, } Poëtæ.

FERDINANDUS MACK,
FERDINANDUS STAMM,
IACOBUS EHRENBURGH,
IACOBUS SCHVVEGELE,
IODOCUS STAMM, } Syntaxiſtæ.

IOANNES ÆGIDIUS SCHICK,
[illegible] HENRICUS SCHONHEIM, } Grammatici.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# VELLUS AVREUM
# THEOLOGICUM

AONIDUM memori victurus carmine, quondã
Aeſonides * Patrui ſuſpectæ obnoxius iræ,
Sepoſito clam nutritus Chironis in antro
Salvificum *Medici* ſibi nomen Iâſon, Olympi
Auſpicio meruit. Fautricis nudipes exin
Hortatu Iunonis abit, celebreſque repoſcit
*Velleris aurati* exuvias, maria invia circum
Marte reportandas valido, æterniſque triumphis.
Magnum opus, ancipitis plenum formidine Sortis!
Quô mortem fugiat, nimirum mille procellas
Mortis adit, Socioſque legit de millibus Argo-
Nautas, & Navim; biſſenos ordine Soles
Hanc fama eſt ſocijs humeris, manibuſque Hëroas
(Vt brevia, & Syrtes poſſent ſuperare doloſas)
Per Libycas, mirum! tetuliſſe potenter arenas.
Proſpera mobilibus mox dantes carbaſa ventis,
Aequoreos ſulcare ſinus, & cærula pergunt

Ver-

Verrere tonſarum auxilio, diſcuntque monentis
Conſilio Phinêi, ſcopulis Symplegadas arctis
Felici tranſire Noto; pro ſede faventis
Hoſpitij, memores largum tribuêre minerval:
Nam Zetes Boreæ, Calai cum Fratre propago
Harpyias exeſſe iubent, volucresque moleſtas
Obvia fœdantes Regalis fercula menſæ
In Strophadum deſerta abigunt Symplegades artem
Herôis, Navimque ſtupent, domitæque recedunt
Diductis aptè ſcopulis. invictus IASON
Denique Theſſalicis Medeæ in carmine verbis
Aeripedes ſubigit Tauros flammamque vomentes,
Sopitoque acri vigiliqúe dracone, cupitis
Cum ſpolijs citò victor ovat, Patriamque reviſit.
Fallimur? an melior tibi *Bonna* revixit IASON
Auſpicio meliore Poli, ſemperque virenti
Dignior Aonidum Lauru, cui Palma ſacratos
Theiologa impertit non emoritura triumphos
Lux nobis adaperta micat, velata faceſſat
Fabula! non FERNANDE metu, ſed amore trahente
Bifronti te Caſtalides Heliconis in antro
Nutritum á teneris, pavêre ſalubribus herbis;
Ambroſiâ Charitum te *S*ancta Colonia pavit
Per teneras comitata Scholas; levis inde iuventæ

Letiferis cautè morbis , vitijſque mederi
A puero tibi cura fuit; præcandida morum
Hinc Cyclas,genij mores,animique tegebat
Non fucis temerata malis ; innoxia vitæ
*F*ax puræ,ſimiliſque ſui retinensq́ue tenoris
Perpetui,mentes Superûmque,hominumq́ue trahebat
In partes violenta ſuas ; in vere Iuventæ
Præcoce, maturi lucebas fronte Catonis.
Namq́ue Rudimentis *Bonnæ* feliciter hauſtis
Lætus *A*grippinam properas , maioraq́ue ſenſim
Grammaticæ *Socialis amas* documenta Minervæ.
Inde per *Auſonias*,per *Graias* fortis arenas
Per *Logicas,Phyſicaſque* plagas,virtute *Triremem*
Herculeá portans,nec fractus pluribus annis
Iure Magiſtrales ſtadio in Tricoronide palmas
Præcipuus pugilum victurá Laude tuliſti.
Nec ſtetit hic invicta manus,maiora petiſti
Altivolæ ſimilis flammæ , maioraq́ue ſemper
*S*candiſti pronæ faſtigia ſumma Thaliæ.
*Divinæ* hinc rimans *Sophiæ* ſacrata fluenta
Irriguo ſatur ore bibis,raptusq́ue bicornis
A *Rheni* graviore Schola, prædamq́ue requirens
*Theiologæ* precioſa ſubis commercia *Divæ*,
Et plenis locuples ſpolijs , præfulgida primùm

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Baccatæ* victor rapuiſti præmia frondis;
Denique & *Auricomæ* radiantia *vellera lanæ*
Aſſiduo ſudore vigil, certusq́ue laboris,
Damnandi fugitans Otîj ſatagensq́ue triumphi
Omine ter fauſto retuliſti verus IASON,
Quàm prædæ melioris amans, tam prodigus ævi
Neve Lupi, colubriúe timens, temnenſque perîcli:
In patrio dum ſponte ſolo PASTORIS obîſti
Munus, *A*tlantiacos æquans fortiſſimus armos
Pro Grege robuſtæ exponens pia ſtamina vitæ.
Macte animo FERNANDE, novis decorate trophæis
Laureolâ decorate novâ ! io! perge, *medentis*
Pro *Te* proque *Tuis*, age, munus IASONIS imple:
Invalidum ſolidato pecus, ſanumq́ue medelis
Præſerua munique ſacris, caulamq́ue diurnis
Nocturniſqúe tege excubijs; quaſſata potentis
Exempli verbiqúe novis pius erige ſuccis;
Harpyias ſcelerum turpes, fœdaſqúe volucres
Hæreticæ fæcis, roſtri pedore maligni
Divino-Angelicæ rodentes fercula menſæ
STROBELI in Strophadas obverte vrgentibus * Euris
*A*lterniſúe *Notis*; quod ſi baccharier inſtent
Difficiles vinci, mox *immedicabile vulnus*

Enſe

* *Opportunè importunè 2. Tim. 4.*

*Enſe recîde* ſacro, ſtygiaſqúe reviſere ad vmbras
Cœli voce iube: ſcopulis Symplegadas altis
*A*ngustos Superùm calles ſuperare doceto,
*A*tque arctas intrare vias, ſuperare draconis
Tartarei ſpumas flammamqúe ignemqúe vomentes.
Sic te conſpicuum victuro carmine, vatum
Poſteritas ventura canat; ſic, vnde ſub auras
Vitales prodîjſti olim FERNANDE, ſuperni
Cæligenis Locuples ſpolijs, animæqúe talentis,
PASTOR iure BONUS tecta ampla reviſe PALATÎ;
DOCTOR iure BONUS terris FERNANDE coruſca,
Manſurum patrio per ſæcula ſidus olympo!

# STROBELIUS
*Anagramma*
# SOL E TRIBUS

AD REV.dum AD.dum IN CHRISTO ET EXIMIVM
P. FRANCISCVM *VAN DER VEKEN*
SS. Theologiæ DOCTOREM,
Eiuſdem FACVLTATIS DECANVM
PROMOTOREM,
Et TRES *ſimul Promotos Doctores,*

VOx vetus eſt: SOL tantùm *unus*, Rex *unicus* eſto:
Nec Regnum Reges, nec capit *Aula Duos*

Nec cœlum Soles; cœlo SOL ſufficit *vnus*;
  Rex *vnus*, Regnum quo moderetur habet.
Vox vetus hæc. nonne hiſtoriæ nova lumina, *Soles*
  Emicuiſſe polo *tres* aliquando ferunt?
Emicuiſſe ferunt: veluti cum *Cæſar* habenas
  *Auguſtus** ſtabiles Vrbis & orbis habet,
Tergemini *Soles* ſenſim coaleſcere viſi,
  Et micuit ſimplex, qui fuit ante triplex.
Nixa *Trium*-Romana *viris* Reſpublica ſtabat;
  Mox uno tantùm culmine nixa ſtetit.
Primus Teutonicis micuit dum ſedibus *Otho*,
  Commemorant *Soles* promicuiſſe *duos.*
*Othones* ambo *Soles*. Sol *Otho* ſecundus
  Sub *magni* ſolus funera Patris erat.
Terni igitur, *geminiúe* micant ſimul æthere *Soles*
  Nec terni verè, nec geminiúe micant;
Apparent gemini tantùm, ternive videntur:
  SOL idem ac unus, qui fuit ante manet.
Oppoſitæ nubis radiante Parelius aſtro
  Vnum ſub triplici ſchemate monſtrat opus:
Brachmanûm* triplices ut habent Tẽpla Indica turres,
  Vnicus in ſummo ſed coaleſcit apex.
Longè aliter *triplices* hodierno ſidere *Soles*

 Nunc

* *Turſellin. epitom. l. 3. ſub finem.* * *Ibid. in Othone I. Imp.*

Nunc per Agrippinæ climata ſacra micant.
VEKENIUS magno SOL *Promovet* igne DECANUS:
*Tres* paribus *ſoles* ignibus inde micant.
Diſtincti *Soles* diſiuncto lumine fulgent;
Conveniuntque loco, conveniuntque ſcopo.
Et veluti Lux *una, Trium* ſunt ſidera *Regum*:
Sic Lumen triplicis pænè micantis idem eſt.
Laurigerâ primus *Laurentii* è Gymnade prodit
Exemplo *Patrui Laurus* opima ſenis.
*Franckenides* ſenior plures *Sierſtorffius* annos
SOL fulſit: ſequitur prævia fulcra Nepos.
Ille quaterdenas meſſes rexiſſe Iuventam;
SOL humeros hic amat ſuppoſuiſſe novos.
SOL alter cœtu micat è *Tricoronide* IESU,
*Mylius Arnoldus* SOL memorandus adeſt.
Clarus Apollineam SOL rexerat ante Palæſtram;
Iam *Socios Rector* SOL regit ille ſuos.
Nunc quia Theiologum docto reget ore Lycæum:
SOL unus-triplex dicier anne queat?
Tertius æquali fulgore accedis eoſdem
SOL FERNANDE novus (dicere malo) vetus!
SOL NOVVS atque vetus. TRIBVS E modo *Solibus* unus
*Strobeli* radio, Lucidiore micas.
PRÆSUL *Agrippinis* qui SOL heu! occubat oris,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Omen habes: doctos inter *Fernande* ſodales
  Ornabas quondam Sol rubicunde ſcholas.
Exin laurigeros & Apollinis inter Alumnos,
  Sol quantus rutilo lumen ab ore iacis?
Adde, quod & dignum *Præſul Fernandus auitus*
  *Conſilii* Myſtam iuſſerit eſſe ſacri.
Ex quo *Paſtorem* Te *Patria Bonna* creavit,
  An verum: in *patrio nemo Propheta ſolo eſt?*
Teſtis Bonna tibi: quanto geris omnia plauſu,
  Quàm fructu locuples vbere munus obis?
Denique per triplices tandem cùm victor arenas
  Difficili *Sophiæ* regna labore ſubis;
Cùm *Doctoralis* nunc *aurea* carpis Honoris
  *Vellera*, quãntus Sol E Tribus inde micas?
E tribus ergo micas. Quis Sol *Tres* maximus inter?
  Lis erit arbitrio non dirimenda meo.
Si tamen invidioſa minus prænomina ſpectem:
  Sol medius fulges E tribus ergo viris.
Arnoldus Sol eſt primus, Fernandius alter,
  Tertius Henricus Sol quoque compar adeſt.
Sin autem diverſa *Trium* cognomina ſpectes:
  *Tres* alio fulgent ordine. *L*umen idem eſt.
Sol equidem primus *Francken*, Sol *Mylius* alter

Strobeliusque pari Lumine ternus erit.
*Tres* ſoles, ſed ubique pares ſimilesque, nec alter
Alterutri diſpar lumine, corde, ſono.
*Tres Soles* vos ergo pares, Fratreſque ſalutans,
Diſſimiles ſolo nomine Muſa probat.
*Tres Soles* fulgete pares Fratreſque manete;
SOL FERNANDE viris E TRIBVS ergo mica.
Vox vetus i, ceſſa: *Tantùm Sol unicus eſto!*
*Tres Vbia Vrbs Soles* iam capit, aula * tenet.
* Theologica.

*SoL VbI MarCeLLI feſto fVLgebat ab aXe,*
*SoL trIpLeX VbIIs fVLget, IneſtqVe sChoLIs.*

# FERDINANDUS STROBELIVS
## PASTOR ET DOCTOR

*PASTOR*
*Anagramma.*
*I.*

ST: PARO
I.

ST! ceſſate Lupi, ceſſate vlulare moloſſi!
En PARO in hæreticos ſacra flagella canes!

II.

St! male mordaces ne latratote Theones:
Ipſe Paro vigili paſcua ſana Gregi.

*II.*

---

STO. PAR.

Orce age, Paſtorem, caulamque, gregemque laceſſe:
En Pastor. Sto Par niſibus orce tuis!

*III.*

ΠΑΤΡΟΣ.

Conveniunt *Pater & Paſtor*, ΠΟΙΜΗΝ ΤΕ, ΠΑΤΗΡ ΤΕ
Nam debet multum Pastor habere
*Re* Pastor debet munus obire
Cor verum Pastor debet habere
{ ΠΑΤΡΟΣ
{ PATRIS

*IV.*

RAPTOS, PARTOS.

*Paſtor* amat Partos agnos, *R*aptosque requirit;
Partos ægrè agnos quid niſi *Paſtor* amet?

*V.*

PROSTA.

Merx velut emptori *proſtrat* venalis amico:
Sic Pastor Prosta non aliene Gregi.

V.

STA. PRO.

Pro Pullis Gallina, *Leænæ* pro catulis ſtant:
Sta. Pastor: curam Pro grege ſemper habe!

# *PASTOR ET DOCTOR.*

*Anagramma.*

*I.*

COR. STAT. PRO DOTE.

I.

Dotare Sponſa coniugem Sponſum ſolet;
Tu *Sponſe dotaſti* gregem,
Ovile Pastor *corde dotas* creditum.
An eſſe *Dos* melior queat?
Pro Dote cor stat Ovibus obſtrictum tuis.
Iam quære *Dotem* Zoile!

II.

Iam *Doctoralis* nubit tibi Theioſophia:
Cor pro dote merum Stat tibi, Statque tuis!

*II.*

COR DOTET { RAPTOS / PARTOS }

Sunt *rapti*, ſunt & *parti* feliciter agni,
Quos Christo parere, & quærere Pastor amas.
Si *dotare* paras certam proclivis in Arrham:
Cor pro *Dote* ovibus, Cor erit arrha tuum.
Cor Dotet Raptos, Partos feliciter agnos;
*An* ſinet hos iterum dextera fida rapi?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf